



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1750**

Caput XVIII. De hujus sacramenti duplici effectu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83714](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83714)

## CAPUT XVIII.

De hujus sacramenti duplici effectu.

## SUMMARIUM.

1. De effectu gratiæ ex Sacramento Ordinis remissive.

2. De effectu Characteris remissive.

1.  
De effectu  
gratiæ ex  
Sacramento  
Ordinis re-  
missive.

**D**uo efficacitate sua Ordinis sacramentum producit, *gratiam* nimirum, & *characterem*. De Gratia prolixè egimus libro XXX. capite 19. & duobus sequentibus, ubi de sacramentis universim differentes explicavimus quanam hæc gratia sit, quid præstet, quomodo producatur. Ex primo etiam capite hujus libri constat gratiam sacra ordinatione conferri: id enim docet Apostolus in utraque ad Timotheum epistola, confirmantque Patres, Nizianzenus, Chryostomus, aliique ibidem producti. Hæc sacramentalis gratia tam ad sanctificationem ornatumque animæ, quam ad sanctè exercenda Ecclesiastica ministeria tribuitur, cum *interiorem animum attingat, invisibili vi exornet, in meliorem transmutet, calumque transcendat*, ut utamur eorumdem sanctorum verbis. Sed vide hujus voluminis paginam 326. necnon proxime consequentem.

2.  
De effectu  
Characteris  
remissive.

Prolixè quoque pertractavimus de characterè præcitato libro tricesimo

cap. 22. quo in loco etiam disputavimus necessum ne sit constitui illum in re aliqua *physice* distincta ab anima. Peculiariter vero characterem Ordinis demonstrant quæ in hoc ipso volumine pag. 328. & in sequenti producta sunt, & quæ integro capite quarto-decimo afferuntur ad demonstrandum Ordinationes rite peractas permanere, & nunquam esse iterandas. Igitur fat est, si quæ suis in locis fuerant disposita, in memoriam nunc revocentur. Hoc enim in capite, quoniam ubi nulla impellitur causa, abstinemus a prolixitate verborum, nil aliud nobis præstandum est, quam exscribere Tridentinum canonem quartum sessionis tertiæ ac vicimæ, ad effectus illos, quos nuper commemoravimus, pertinentem: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere, Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.*

## CAPUT XIX.

De quibusdam sacrarum Ordinationum Ritibus in hac dissertazione nondum expositis.

## SUMMARIUM.

1. De tempore Ordinationum.  
2. De Loco Ordinationis.  
3. De interstitiis.  
4. De Gradibus Ordinum.5. De vestibus Clericorum.  
6. De unctione Presbyterorum, & Episcoporum.

**E**t si per singulos Ordines discurrens plura attigimus, quæ in hujus sacramenti ceremoniis, ritibusque servantur; nonnulla sunt tamen, quæ

in hoc postremum caput rejecimus, ut eandem methodum in universo hoc Opere teneremus.

DE